



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annvs Sanctvs Ac Fortvnatvs

Coloniæ Agrippinæ, MDCXLVIII

S. Theresia Virgo. 25. Octob.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53246)

S. THERESIA Virgo.

15. Octob.

1. Theresia ab infantia dies æternos in mente habuit, hinc primum fari visa, In æternum, In æternum, In æternum, exclamabat. Parua adhuc cum paruulo fratre Mauritaniam versus aufugit, vt pro Christo martyrium pateretur. DOC. Cogita æternitatem.

2. Matre mortua MARIAM sibi in matrem adsciuit, Maria verò mox illi Sponsum Filium suum consiliauit, quo sibi cum illa, & S. Iosepho apparente Seraphinorum vnus cor Theresiæ iaculo diuini amoris crebrauit. DOC. Ama IESVM, MARIAM & Ioseph.

3. Amoris IESV testimonium in ea est, quod etiam veniale peccatum magno pere fugit, monstri loco ducens Religiosum cum peccato mortali. Quid, quod vouerit semper se esse facturam, quod gratius DEO intellexisset? Amorem sanè non vulgarem indicat. DOC. Fuge etiam studiosè peccatum veniale.

4. Cum cœli gaudia Christus illi aliquando maxima ostenderet, viden', ait Theresiæ, quantis se bonis spolient peccatores? Hinc pro illis conuertendis multa deuotionis opera, & suas carnis afflictiones, qua frequentes patiebatur, sibi que vltro indicebat, offerre satagebat. DOC. Stude & tu peccatis deditos emendare.

5. Singulare donum meditationis à DEO obtinuit, illiq; se plurimum impendebat: cum Carmelitarum Ordinem singulari impulsu Dei non absque magnis difficultatibus instaurasset. B. Virgo, & Virginis Sponsus Iosephus, quem ardentè semper coluit è cœlo vestem illi attulerunt: vtrique nuptialem, cum qua in nuptijs Agni, quod paulò post factum est, compareret. DOC. Anhela & tu ad ecclestes Agni nuptias suspirijs & iugi oratione.